



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

8. De mortificatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

CONSIDERATIO VIII.

De mortificatione.

FAlluntur vulgo seculares, qui mortificationes omnes in claustra amandandas esse putant. Neque enim æquum est, ut qui innocentius vivunt, pœnitentiæ, quæ reorū est, potissimum studeant. Certè non religiosos solos, sed Christianos omnes Christus alloquitur, dum ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Constat igitur, omnibus ad salutem & perfectionem aspirantibus mortificationem esse amplectendam.

Matt.
16. 24.

II. Ea duplicis est generis: altera penitus necessaria, altera utilis tantum. Prima præcipitur, secunda consulitur: de illa dictum est, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te:* de ista: *Qui potest capere, capiat.* Primi generis usus consistit in eo, ut quidquid ad peccatum sive mortale, sive veniale impellere posset, penitus abjiciatur.

Marc.
9. 46.

Matt.
19. 12.

III. Considera, quæ sit frequentior causa lapsus, utrum avarici, amor propriæ excellentiæ, ambitio, voluptas, &c. hæc enim tibi amputanda esse profus existima. Nam, ut ait veritas æterna, *Si quis non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 14.
26.

IV. Sed remota peccandi occasione, qui ad perfectionem aspirat, majus aliquid aggredi oportet. Nemo est, cui non insit aliqua minus ordinata inclinatio. Alii plus æquo honoris appetentes sunt, alii nimis indulgent corpori, illi in ludum propensiores, isti conversationibus quibusdam liberioribus implicati sunt. Quisquis ejusmodi est, sciat se nunquam Deo penitus acceptum fore, nisi modum in iis eumque arctissimum servet. Licet enim ista apertè peccata non sint: difficile tamen ab omni peccandi periculo absunt. Firmiter igitur hodie proponensuum, inclinationū, vanitatis, desideriorum, curiositatis studere mortificationi: qui enim illam neglexerit, rarò, aut nunquam perfectam animi puritatem assequetur.

V. De mortificationibus corporis nihil est quod speciatim dicam: unusquisque vires propriamque necessitatem consulere debet. Hoc unum in genere affirmare licet, quod sæpe longè plura ferre possumus, quam natura sibi malè blandiens arbitretur.

VI. Verum ne quis prudentiæ limites excedat, consulat conscientiae moderatorem, illisque pœnitentijs magno & forti animo utatur, quas sibi aut necessarias esse aut utiles ad perfectionem acquirendam judicarit.



INDEX